



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 53. Condæi literæ ad Protestantes Germaniæ Principes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

„serventur, donec Rex ad eam ætatem **Sæc. XVI.**
 „pervenerit, in qua de re tota juxta Re- **A.C. 1562.**
 „gni leges decernere posset. Hæ con-
 „ditiones, cum sint æquissimæ, nisi ac-
 „cipiantur, & Triumviri Regi, Reginæ-
 „que, ac Regis Consilio vim facere, re-
 „gioque nomini illudere, regisque sub-
 „ditis injurii esse pergent, rursum con-
 „testor, me, meosque socios id non to-
 „leraturos, sed culpa tot calamitatum,
 „ac miseriaram, quæ inde secuturæ
 „sunt, & a quibus innocentes sumus, in se-
 „ditionis auctores rejecta, in devota di-
 „ris capita severè vindicaturos.

§. LIII.

Condæi literæ ad Protestantes Ger- maniæ Principes.

Biduo post idem Condæus Princeps **Thuan. l.c.**
 ad Germaniæ Protestantes literas
 dabat, quibus etiam Ministrorum, ac
 Nobilium epistolas adjecit, ut exinde
 de sumptorum armorum caussis plenius
 edocerentur: porro in his literis illos
 rogabat, ne tam necessario tempore Re-
 gi, Reginæ, ac toti Regno deessent, nec
 se falsis adversariorum criminationibus
 præoccupari sinerent, sed ad Dei glo-
 riam, Regis, ac Regni salutem suscepimus
 bellum viribus suis firmarent, totaque
 vi sua promoverent.

F f 3

Eodem

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Eodem tempore Condæus fœderis, quod ipse cum sociis suis pro Regis, ac conscientiarum libertate inierat, formulam subjicit, in qua fœderati in rebellionis suæ caput eligebant Condæum Principem, atque illum legitimum Francici Regni vindicem, ac Protectorem proclamabant, eique in omnibus, quæ hujus fœderis executionem speçtant, obsequium jurata fide præstabant, percusso fœdere, quod eo usque duraret, donec Rex ad legitimam Regnum administrandi ætatem pervenerit: insuper Condæo promittebant, se arma, equos, pecunias, annonam, omniaque ad bellum necessaria suppedidaturos, ut bellum inferri posset Triumviris, quos pro læsæ Majestatis reis, ac proditoribus habebant,

§. LIV.

Mendax rumor de foedere inter Triumviro, Hispaniæ Regem, Papam, & Helveticos initio a Calvinistis sparsus.

Thuan. l. 29. Ut Calvinistæ rebellionis calumniam, ac initi fœderis invidiam imminuerent, aliud contrâ se fœdus a Triumviris esse initum, nequiter spargebant, ejusque formulam divulgabant, in qua Dux fœderis Philippus II. Hispaniæ Rex erat